

ui ab infortunantibus, cum testimonio fortunantium, significant hæc illo anno bonum secundum naturam dominatis in anno, & diuisione.

Quando in natali dominus diuisionis fuerit fortuna in malo loco, & damnato, nullum bonum significat, maximè si anni dominus sit damnatus, sed malum significat, & damnum.

Et si dominus diuisionis fuerit fortuna, & in radice in bono loco, & in aspectu fortunantium, multiplicabitur, & crescet illud bonum, & tantò plus, si fuerit orientalis, & in bono loco.

Et quando locus diuisionis in radice natiuitatis, aut reuolutionis infortunatus fuerit per coniunctionem, quadratum, uel oppositum, uel trinum, infortunantur, si etiam diuisio fuerit ad planetam infortunantem aspicientem ipsum. Cum his projectionibus radorum infortunantium, omnibus modis damnum, & malum significat, maximè si dominus anni, & Luna fuerint infortunati, quia Luna est quæ complet omnes planetarum significationes.

Quando diuisio fuerit ad infortunium, & locus diuisionis in radijs, & reuolutio infortunata, & si habuerint radios in reuolutione illa radice, & Luna infortunata fuerit in radice, & fortuna non aspexerit ascendens, & infortunæ ibi aspexerint ex oppposito, uel quadrato, significant abscissionem uitæ nati in illo anno. Et si radij fortunantium fuerint in illo termino, licet Luna, & Ascendens reuolutionis fuerint infortunati, non timebit natus illo anno mortem, at tamen accidet ei graue impedimentum.

Et quando infortunæ applicuerint ad locum Lunæ, & eadem applicante ad ipsam stellam, infortunantem in reuolutione, maximè si significator anni fuerit in malo loco. Similiter in domo infortunantium, significant illo anno laboriosam uitam, aut grauem corporis ualitudinem.

Idem etiam erit si Luna applicuerit ad locum infortunæ natalis, & manifestius erit, si hæc applicatio fuerit in ascendente natalis, uel in sexta, uel duodecima domo, reuolutionis.

Omnis planeta qui fuerit in sua partitione, proijciens radios ad terminum in quo fuerit in natali, significat illi significationes proprias ipsius planetæ. Exempli gratia. Ponamus Iouem habere dominium in aliqua reuolutione, & sit diuisor, & proijciat radios in terminum natiuitatis, & non sit infortunatus in radice, & reuolutione, & sit in bono loco, significat illo anno coniugium, & filios, & quòd associabitur nobilibus, & ad dignitatem perueniet, secundum quòd fuerit significatio radice.

Si Sol proiecerit radios suos hoc modo, significat illo anno potentiam, & dominium, associabitur Regibus, ascendet ad dignitatem, & lætabitur cum parentibus, & propinquis, & lucrabitur substantiam ex parte parentum suorum.

Et si Saturnus proiecerit radios suos hoc modo, significat tristitiam ratione patrum, & filiorum, ualitudines malas, & inuolutionem, sensus illo anno &c.

Et si Mercurius hoc modo proiecerit radios suos, significat quòd illo anno natus ascendet ad intellectum, & doctrinam, & loquetur res per quas exaltabitur, & augebitur, ac fama & fortuna tam ipsius, quàm filiorum eius, non parua habebit incrementa.

Et si Venus proiecerit radios suos isto modo, significat illo anno bonum coniugium nobilium mulierum, & cum his lucrum, & erit in lætitia, cantu, & ludis. Et si cum hoc Iupiter aspexerit Venerem, aut terminum diuisionis, significat maxima lucra, & lætabitur in rebus odoriferis, & uestibus. Et si Venus proiecerit radios suos hoc modo, natus erit in gaudio, & lætitia.

Aspice planetas, dominum termini, uel diuisorem aspicientes, & misce significationes eorum, cum significationibus domini termini, quòd si dominus termini
ac pla